

occludent, & ampliozem liqvoris adscensum prohibe-  
bunt: Vicissim verò, alterius canalis B. pars superna F.  
vinculo aliquo stringatur, & à parte inferiore G. simili-  
ter liqvor quispian, sed vel majore violentiâ, vel pau-  
lò diutiùs, sursum impellatur: Sic canalis totus, usq;  
ad ligaturam, amplior evadet, limbiq; valvularum C.  
eo ipso, quo fixi non sunt, non etiam coëxtendentur,  
sed à latere canalis opposito D. recedent, atq; sic libe-  
rum liqвори ad superna aditum concedent.

Quam opinionem, immò Mathematicam dico de-  
monstrationem egregiè confirmat supra-laudatus CON-  
RINGIUS ( l. d. pag. m. 195. ) his verbis, quæ sanè me-  
rentur adscribi: *Plerisq; in locis, inquit, si cogas sangui-*  
*nem minores Venas versum fluere, ita ille à valvulis pas-*  
*sim sistitur, ut ne vi quidem guttula ejus aliqua præterla-*  
*batur. Hoc ipsum verò non tantum in corporibus per A-*  
*natomen apertis, sed & in vivis, integrisq; est deprehen-*  
*dere, si brachia cum primis vinculo constrinxeris iis, qui-*  
*bus vena magis sunt conspicua. Sanguis enim valvulis*  
*conclusus, quâ parte quasi tubercula producit, & genicu-*  
*los, nec suâ sponte, nec retrò pressus trans valvulas etiam*  
*in vacuum venæ spaciū solet concedere. Hoc ipsum cla-*  
*riùs liquet in corporibus dissectis: nullibi enim non per*  
*omne corpus hæc valvularum est Natura. Non tantum*  
*autem non sanguini, sed ne flatui quidem patet via, si ve-*  
*nam versus minores ramos inflaveris: etiam hic enim si-*  
*stitur, nisi tandem ita præter naturam dilates venam,*  
**UT AMPLITUDE VINCAT VALVULÆ COR-**  
**PUSCULUM.** Et rectè idem de Statu præternaturali  
partium colligere est, quod malè alioqvi, tanquam de  
Naturali, PRIMIROSIUS Harveo objicit ( de Motu

*Suffragium*  
*Cl. Conringii*

Sangu.